

1757. MENSE DECEMBRI. ZAGRABIAE.

*Articuli Generalis SS. et OO. Regni Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae, A. 1757
18. et sequentibus mensis Decembris diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae, in Generali eorundem, ex edicto et sub praesidio Excellentissimi Illustrissimi et Reverendissimi Domini Francisci Thauszy, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopi Zagrabiensis, Abbatis B. V. M. de Topuska, Comitatus de Berzencze Supremi ac perpetui Comitatus, nec non Sacratissimarum Caesareo Regiarum Majestatum Actualis Intimi Consilarii, ac praeattactorum Regnorum Officii Banalis Locumtenentis, pro 18. et subsequis diebus Mensis Decembris Anni 1757, Zagrabiae in Arce Episcopali Celebrata Congregatione conclusi.

Articulus Primus.

De Quatuor Borussicis Vexillis a Sua Majestate missis.

Publicatis more solito credentialibus, ut eo faustiore auspicio praesentibus Comitibus proluderetur, lectum erat Benignissimum Suae Majestatis Caesareo Regiae de dato Viennae Austriae die 24. Mensis Novembris Anni labentis Suprascripti ad Suam Excellentiam Locumtenentialem in eo Clementer emanatum Mandatum, qualiter ad maternum, quem erga fidelem Croatarum gentem animo fovere dignatur, affectum, hac quoque occasione, qua Deo auspice sub ductu Spectabilis ac Magnifici Comitatus Francisci de Nadasd, Regnorum horum Bani, pari ejusdem Sagacitate, Fortudineque, ac Bellica etiam Croatarum ibidem pugnantium virtute praesidium Schveidnicz occupatum est, testatum reddendum, quatuor hosti erepta vexilla fine eo clementer transmittere sit dignata altefata Sua Majestas Sacratissima, ut unum Zagrabiae in Chathedrali, aliud vero Varasдини in Parochiali Ecclesia asservetur, residua vero duo quo congruum visum fuerit adpendenda distribuantur. Peculiare hoc Clementiae Caesareo-Regiae Argumentum, quemadmodum tenerrima cum consolatione profundissimaque in subjectione acceperunt Domini Status et Ordines, ita homagiales altefatae Suae Majestati agendas grates, ad perpetuam vero tantae benignitatis memoriam antelatum Clementissimum mandatum prothocollo inserendum decreverunt, collatisque cum Sua Excellentia Locumtenentiali consiliis unum e residuis duobus vexillis in Domo Regni appendendum, alterum ad Confinia Banalia mittendum destinarunt, ut habeat Status uterque et Insigne Clementiae Caesareo-Regiae monumentum. et illustre fidelitatis praemium, et perenne pro sera etiam posteritate virtutis incitamentum. Quia vero uti gloriae in gentem hanc redundantis, ita et antelatae Caesareo-Regiae Benignitatis Authorem Excellentissimum ac Illustrissimum Dominum Comitem Banum suum, velut cujus eximia rei militaris peritia incredibilique fortitudine ac constantia iteratas hoc Bello de hoste reportatas victorias probe norunt, venerarentur Domini Status et Ordines: ideo de peculiari hac Suae Excellentiae gloriae occasione